DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XII. DECEMB.

M. ANTONIO IOANNE MORAND, Doctore Medico Præſide.

An homo extra vterum Gigni poteſt? 1089

CVM omnia fatali lege ſæuæ temporum lethique tyrannidi ſubjaceant & inteſtino elementorum diſſidio corruant ad interitum, ne ſemel excederent nunquam reditura, diuino numine ſancitum eſt vt clades quas jugiter edit moriendi neceſſitas, natura chariſſimo lucis munere continuò reſarciat. Hæc tanto propagandæ ſobolis & mortalibus immortalitatis conciliandæ ſtudio ducitur, vt non modo totum orbem fœtuum vbertate fœcundet vitæque ſeminibus vbique ſparſis compleat animalibus, verum etiam ne non fiat voti compos imbelles quæ neci patent vndique & æui breuioris animantes numeroſâ prole compenſet. Communis hunc noſtræ parentis amorem illa viuentium terrâ marique ſponte ſuâ naſcentium generatio planiſſimè conuincit. Alia quippe in ipſo terræ ſinu ſuſcipiuntur Tubera nempe & piſces quidam quos foſſiles vocant, alia de fimo, de truncis arborum, immo de lapidibus ipſis erumpunt vt Fungi, alia de plantis vt Voluox, Erucæ, Curculio, Coſſus & Midas, alia de limo vt Ranæ, omniaque teſtacea (ſi cochlearum genus excipias) proferuntur, alia de fuligine vt Pyrauſtæ, de niue vt vermes quidam hirti, de muſculis rubri maris Accolarum Dracunculi, de conchis & frondibus aues, magno naturæ miraculo ſuſcitantur. Quæ omnia non à commentitiâ mundi aut globi terreſtris animâ nec à genio quodam huic operi præfecto, nec à cœlo nec aſtris ſed ab vniuſcujuſque formâ peculiarem ſibi figurante materiam eamque imputrem ſeligente effinguntur & omnibus numeris abſoluuntur. Verum hæc omnia ne temerè volutari credas a ſupremâ ſapientiâ quæ abjectiſſima non ſpernit conſtituta ſuccedere certò ſcias.

NON eadem omninò ratione diuinum efficitur generationis opus namque partim animalium gignunt atque gignuntur vt Homo, partim neque gignunt neque gignuntur vt Oſtreæ, illa gignuntur nec tamen gignunt vt Mulus, hæc item gignunt nec genita ſunt vt Mures quidam; vno verbo animalium omnium genus aliud ab animali ſibi cognato maſculi feruidioris tepidioriſque fœminæ copulâ & vtriuſque ſemine confuſo producitur, aliud vero putribus è quiſquilijs ſponte ſine parentis officio prorumpit. Animalia quæ coïtu propagationi ſuæ conſulunt, alia fœminas liquidæ materiæ profuſione, alia ſpiritu ſolo grauidant vt inſectorum genus, alia viuipara ſunt vt Locuſtæ, Viperæ, Raïa & Homo, alia pariunt oua, vermiculos alia fundunt, alia teſtibus donata ſunt, alia vtpote temperamento frigidiora ne ſemen eorum per longius iter oberrans infœcundum euaderet vaſa duo ſeminaria tantum obtinuerunt vt Serpentes piſciumque maxima pars. Quibus teſticuli dati ſunt illi vel lumbis adhærentes & intro reconditi deliteſcunt ad libidinem vt Delphino, auibus omnibus, & quadrupedibus ouiparis, vel in abdominis infimâ parte penduli ſidunt ad caſtitatem vt Homini; verum illorum nulla ſunt quibus aut vulua (tanta eſt illius neceſſitas) aut ſaltem aliqua pars illi reſpondens non impertita ſit. Hæc in illis quæ oua perfecta & bicolora pariunt vt aues & Ranæ præcordijs adjacet, in viuiparis & inchoata tantum oua gignentibus in ventris imâ ſede poſitionem habet. Ecce tibi procreationis alterum inſtrumentum & pretioſum illud vas in quo viuiparorum fœtus ouaque piſcium & auium licet foris ob eorum nimiam vbertatem excludi neceſſe ſit, ſuſcipiuntur & animantur. Quod ſi imperfecta frigida puſillaque animalia quæ ſunt quaſi naturæ ſpuria ſine vuluâ conformentur, ſortis longè ſuperioris, molem ſortita majorem, calida quæ non fungoſo & retorrido ſed molli ſanguineoque pulmone genitalibuſque vtrique ſexui proprijs inſtructa ſunt, nuſquam alibi quam in vtero ſua primordia capere poſſunt.

HOMO vt cæterorum animalium nobiliſſimus atque perfectiſſimus eſt ſic & clariori conditione præſtantiorique modo generatur; tot præclaris eum natura dotibus ornat illiuſque propagationis tantâ ſollicitudine ſatagit, vt acutum illud animal potiorem ejus curâ ſuauioreſque delicias eſſe diceres. Hoc itaque maris ac fœminæ ſexu diſtinxit, illique genituram attribuit ex cujus ardore vtrique blandum amoris ſtimulũ admouit & ad ſobolis procreationẽ dulciſſimæ voluptatis illecebris inuitauit. Cum vero ſemen illius. quippe quod ſit totum aëreum & vndique ſpirituum copiâ perfuſum, tam citò deferueat & infœcundũ euadat, vt per penem longiorem euibratum vitali calore & genitrice virtute ſpolietur, apto quodã receptaculo, cujus amicâ caliditate conſeruetur & foueatur infundi voluit. Eo conſilio fœminæ vuluam indidit quæ id auidè prolectum priuatâ dote ſuſcitet & ad agendum impellat. Hæc idcirco illud ne vel minimam ſpirituum jacturam faciat in fundum vſque immo & aliquando ſuos vltimos in ſinus (cornua vocant) vndiquaque circumplectendo recondit, ita vt illic non ſecus ac in Ceruis, Damis, cæteriſque viuiparis, præter Simiam & ſolidipedum genus fieri ſolet, hominis opificium abſoluatur. Tanta eſt ad generationem peculiaris vuluæ temperiei neceſſitas, vt ſi genitura illi paulò calidiori mandetur ſubito corrumpatur, ſi humidiori nimio diluta humore in vitam hærere nequeat, ſi frigidiori penitus extinguatur, ſi denique ſicciori totum areſcat, ſi vero legitimam temperiem ſortitæ committatur in ouum illicò glomeratur; tum illi anima quoquouersùm infuſa materiam variè diſtrahendo, verſando figurandoque intra ſeptem dierum interuallum omnium eodem filo particularum prima ducit ſtamina & reliquo geſtationis tempore, quod raró nouimeſtre ſpatium excedit ſeptimeſtrique breuius eſt, in illis alendis, augendis ac perficiendis occupatur, donec tandem fœtus carceris ob illi denegatum nutricatus & aëris hauſtum impatiens, ſolutis vinculis ſibi foras viam aperiat.

CERTIS quibuſdam modis rerum vniuerſarum vis ac potentia circumſcribitur extra quos egredi nulli datum eſt vnquam. ſic animalium omnium determinata ſunt principia, præfinitæ cauſæ certuſque finis eſt præſtitutus, hoc vel ex ipſis ſordidis & ſponte naſcentibus animalculis innoteſcit. Semper enim ex equino ſtercore Scarabeos oriri non Acaros, Bibiones è vino non Cimices, Vſias è porco, Ricinos è cane, è caſeo, carnibus & ligno ſui generis vermes erumpere videas: & vnicuique ſuo ſingula tempore naſci ac interire ex Erucis, Muſcis, & Papilionibus exploratum eſt; ſic princeps animalium Homo non ancipiti caſu, non vbique, nec ex omni promiſcuè materiâ, ſed ex humano ſemine tantum & in vtero penetralibus generatur. Quod ſi viuentia quædã medijs in vndis telluriſque gremio vt Culices, Tipulæ, Agnuſque ſcythicus producuntur, illa calore languido penituſque vieto prædita ſunt, at illorum quæ feruido ſanguine turgent vt Leo, Homo, & ſimilia nulla in aquâ terrâue ob illarum innatam frigiditatem vegeto calori cordiſque jugi motioni prorſus aduerſam formari nequeunt: illorum animæ cum ſint perpaucis deſtinatæ munijs atque idcirco ignobiles, quaſi agreſtes quacumque tegi caſulâ ſatishabent; ſic puſilla nauigiola paucorum ſcalmorum aguntur operâ ſed corbita numeroſis thalamis adornari debet. Ita Hominis animus cui Deus ſuam effigiem impreſſit & innumeris ijſque perfectiſſimis actionibus obeundis addixit opus habet ornatiori munitiorique domicilio materiâque indiget varijs elaboratâ modis ſpiritibuſque turgidâ ex quâ mirandum humani corporis ædificium extruat. Huic excipiendæ fouendæque non quiuis calor nec omnis locus idoneus eſt, vt enim auium oua ne vrina fiant blando tepori committi, Cochlearum in ſpumâ reponi, Gammarorum pinnis adhærentia circumferri, Scarabeorum fimo recondi, Aranearumque in ſportulâ ex telâ ſuâ contextâ geſtari vt excludantur, neceſſum eſt: ſic animalia perfecta concipere ſoli matrici conceſſum eſt, quippe quæ ſola conuenientem huic operi calorem ſortita ſit, cujus idcirco tuendi tam ſtudioſa fuit natura, vt cum teſtes pleriſque animalium foras collocauerit, omnibus vterum in intimam aluum abdiderit.

VVLGVS indoctum adeo fabularum lenocinio capitur vt quicquid inanis rumor afflat etſi ne minimâ quidem veri ſpecie ſit adumbratum, extemplò & inconſideratè pro certo teneat; ſic non pauci vulgaris notæ, ſemine deuorato piſces impleri credunt, permulti Ceruos, Columbas Muſtelaſque genitalẽ humorẽ ligurire, alij ſolo maris afflatu Perdices augeri fœcundis ouis, & quidam Equas vento concipere putant; at iſtos in generationis animalium lege, vel Hypſeâ cæciores eſſe manifeſtiſſimè patet: ſic eos omninò latere ſeminis naturam apertum eſt, qui hoc aëri ſubjectum, vel in humum aut aquam effuſum, genitore ſpiritu non orbari nec ſubitò corrumpi ſibi fingunt. Sanè quotidianæ citiùs experientiæ, quæ generationem abſque ſeminis in vterum ejaculatione non fieri probat, quam illius credulitati fidendum eſt qui muliérculæ fallaci narratione deceptus. hoc in balneum emiſſo ſine maris amplexu grauidatam eſſe fœminam ſibi perſuaſit: non minus etiam illi cæcutiunt qui perpetuis curſibus cœleſtis conuerſionis exiſtere tandem aliquandò caſu materiam ſerendi generis humani, & ſic hominem è limo non ſecus ac animalcula viliora iterum efformari poſſe autumant. Hoc tamen nullo conuentu ſiderum, nulliſque cœleſtium orbium circumactionibus hucuſque compertum eſt, neque commentitijs Pyrrhæ Ducalioniſque ſaxis credibilius eſt. Verum nulla vnquam ſtolidior extitit inſulſitas, quam nebulonum quotumdam qui ſe homunculum ſemine cum ſanguine menſtruo in ampullâ vitreâ fimeto obrutâ repoſito confeciſſe jactitarunt: quaſi vero ſemen vtrumque maris atque fœminæ abſque omni vitalium ſpirituum exolutione fictili poſſet infundi, ac vim illam à naturâ impreſſam vtero exſuſcitandæ genituræ caloriſque temperationem, ſine quâ non fit conceptionis opus, ars quantumuis abſoluta vnquam aſſequi valeat.

Ergo non poteſt homo Gigni extra vterum.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Germanus Hureau.
M. Ioannes de Bourges.
M. Robertus Patin.

M. Michaël de la Vigne.
M. Petrus Perreau.
M. Ioannes Armandus de Mauuilain.

M. Philippus Harduin de ſaint Iacques.
M. Helias Beda.
M. Ioannes du Cledat

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS RVFFIN Pariſinus, A. R. S. H. DC. LVIII.